



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus I. An admittendæ sint tres existentiaë relativæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

## DISPUTATIO XXIV.

DE

## Relationibus ad existentiam &amp; subsistentiam comparatis.

Ad q. 28. a. 2. &amp; q. 29. a. 2.

**P**OR Divinas relationes in seipsis consideratas, pergimus ad easdem considerandas secundum connexionem, quam habent cum existentia & subsistentia. Ubi tria quaruntur: Primò, an, quemadmodum essentia Divina gaudet existentia absoluta, ita singulis Personis singulæ quoque existentia relativæ conveniant? Secundò, Utrum sint tres relativæ subsistentiæ Personarum? Tertiò, An præter subsistentias relativæ admittenda sit subsistentia absoluta communis omnibus Personis?

## ARTICULUS I.

*An admittenda sint tres existentia relativæ?*

## SUMMARI A.

1. Refertur sententia affirmans,
2. Et probatur autoritate.
3. Argumenta à ratione ferè philosophica.
4. Concluditur negat. va.
1. Testimonia SS. PP.
6. Ratio prima, quod existentia sit actus essentia & perfectio simpliciter simplex.
7. Secundò quia est ultima actualitas sui susceptiva.
8. Tertiò quia sequerentur tres æterni & increati subsistitioes.
9. Autoritates objecta exponuntur de esse quidditativo.
10. Actualitas aliquando nominat quidditatem formalem.
11. Quomodo existentia debeat esse terminus productionis?
12. Effectus formalis existentia est completè removere extra nihil.
13. Esse quidditativum relationis est ad aliud, non esse existentia.

## §. I.

*Refertur sententia affirmans.*

**S**icut præter realitatem essentia dantur in Divinis tres realitates relativæ; ita præter existentiam absolutam essentia, de qua constat ex I. Tractatu, dari tres existentias relativæ, docuit Albertus in I. dist. 23. a. 1. ad 2. Scotus dist. 11. q. 2. ad 1. quos præter Medinam & Zumel sequuntur Suarez l. 5. de Trinit. c. 5. Arrubal, alique RR.

1. Fundamenta Avertariorum sunt primò ab autoritate. Nam D. Augustinus 5. de Trinit. c. 6. & l. 7. c. 4. ait: *aliud est esse DEUM, aliud esse Patrem.* & Cyrillus Alexandrinus dial. de Trinit. l. 1. de Patre & Filio: *Cum uterque sit & subsistat, propriamque habere dicatur existentiam.* quibus similia vide apud Aguirre disp. 74. sc. 5. num. 43.

2. Secundò argumenta à ratione opponunt ferè eadem, quibus in physica probant, materiam pri-

mam habere propriam existentiam; & in Metaphysica, essentiam non distingui ab existentia.

Arguunt igitur primò. Tot sunt existentia, quot sunt realitates actuales: sed quot sunt relationes, tot sunt realitates actuales: ergo tot sunt distincta existentia.

Secundò. Existentia est terminus productionis: ergo cum in Divinis sint plures productiones, erunt plures existentia relativæ.

Tertiò. Relatio aliter ponitur extra nihil, quam essentia: quia relatio filiationis & spirationis ponitur extra nihil per productionem; essentia ponitur extra nihil non per productionem, sed per esse à se: ergo habent diversas existentias. Consequentia probatur, quia diversi effectus formales proveniunt à diversis formis: sed esse extra nihil est effectus formalis existentia: ergo diversus modus essendi extra nihil provenit à diversis existentia.

Quartò. Relationis esse est ad aliud, non autem esse essentia: ergo aliud est esse relationis, quam esse essentia.

## §. II.

*Adstruitur negativa.*

**C**ONCLUSIO. est negativa, & certa S. Docto. 4. Cris hic q. 28 a. 2. dicentis: *Pater ergo, quod in DEO non est aliud esse relationis, & esse essentia, sed unum & idem.* Rursum q. 2. de pot. a. 6. clarissime inquit: *Non est concedendum, quod aliquid absolutum in Divinis multiplicetur: sicut quidam dicunt, quod in Divinis est duplex esse, essentialis & personale: omne enim esse in Divinis essentialis est, nec Persona est, nisi per esse essentia.*

Quid clarius? Insuper quoties loquitur S. Doctor de existentia essentia & personatum, affirmat esse unam & eandem, prout videre est in plurimis locis citatis apud Godoyum. disp. 79. §. 2. Probatur primò autoritate & ratione SS. PP. 5. Nam S. Gregor. Nazianz. orat. 37. in Evangelii Joannis Initio: *In principio erat Verbum, & Verbum*

*bum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum, obliuans trinam repetitionem illius vocis erat, ita loquitur: erat, erat, & erat: sed unum erat. lux & lux, & lux, sed lux una, DEVS unus. ergo S. Pater in 3. personis, de quibus affirmat illud æternum erat, nihilominus tantum unum erat, agnoscit: sed hoc erat iuxta expositionem PP. in Synodo Nicæna ex hoc ipso loco contra Arianos disputantium, significat actualitatem existentia: ergo in 3. personis unica tantum admittenda est actualitas existendi. S. August. l. 5. de trinit. c. 2. Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapientia; & ab eo, quod est scire, dicta est scientia; ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia, &c. Ubi S. Pater agnoscit esse, h. e. existere in Divinis ad essentiam pertinere: ideoque dictum esse Ex. 3. Ego sum, qui sum; sed quæ ad essentiam pertinent, non multiplicantur in Divinis: ergo.*

S. Anselmus paucis hanc doctrinam exprimit monolog. c. 60. dicens: *idem esse est alteri, quod alteri. Idem c. 63. inquit, esse certissimum, quid quid natura summa inest essentialiter, id perfecte convenire Patri, Filio & eorum Spiritui singularim. & tamen id ipsum, si dicatur de tribus simul, non admittere pluralitatem.* Sublimo: atqui DEO secundum naturam esse seu existere inest essentialiter, ut ne quidem sit distinctio virtualis & rationis ratiocinata inter esse & essentiam iuxta præmissa in 1. Tractatu: ergo esse non admittit pluralitatem in Divinis.

6. Probatur secundò argumentis à ratione ductis Nam primò, ut modò insinuat, Existentia DEI est actus essentia, necne nec ratione distinctus ab essentia; ergo sicut essentia DEI non multiplicatur relativè; ita nec existentia. Insuper. Existere est perfectio simpliciter simplex, melior ipsa, quàm non ipsa: sed perfectiones simpliciter simplices non multiplicantur in Divinis; quia pertinent ad rationem actus puri, qui imbitur in ratione essentia diffusæ per omnes Personas: ergo neque existentia multiplicantur in Divinis.
7. Secundò. Existentia est essentialiter perfectio, & actus ultimus sui susceptivi, illud perficiens in ordine ad se; sed relatio ut sic neque est perfectio, neque ordinat rem ad se, sed ad aliud: ergo non possunt in DEO dari existentia relativæ. Sed neque possunt ejusdem rei dari plures ultimæ actualitates, ut suppono ex Philosophia; ergo nec plures existentia relativæ in DEO.
8. Tertiò. Si darentur tres existentia relativæ in DEO, dici possent tres æterni, & tres increati, non tantum adjectivè, sed substantivè, quia multiplicaretur significatum formale tam æternitatis, quod est esse immutabiliter durans, quàm esse increati, quod est esse à se. Sequela autem repug-

nat Symbolo Athanasii: ubi non minus negantur Tres æterni, & tres increati, quàm tres Dii & Domini.

## §. III.

*Solvuntur fundamenta opposita.*

AD 1. ab autoritate petiti Respondeo: in primo loco Tò esse non significare esse existentia, uti proprie & ordinariè sumitur, sed esse quidditativum, h. e. rationem formalem constitutivam alicujus rei, seu rationem explicitam per distinctionem; quò modo & sensu verum est. Patrem constitui per aliam formalem rationem constituti virtualiter distinctam, ab ea, per quam in ratione DEI constituitur.

Ad secundum quoque textum Cyrilli Respondo ex eruditissimo Agurte, vocem existentia, que in Græca origine hyparxis dicitur, sepe significare rationem formalem & quidditativam, sicque Cyrillum in tribus personis non aliter tres existentias rigorosè & propriè sumptas pro ultima actualitate essentia, sed pro ratione formali & quidditativa, quæ sanè unicuique Personæ est propria, juxta dicenda inferius.

Ad argumentum primum à ratione petiti consequenter ad principia nostra philosophica Respondo: Tot sunt existentia, quot sunt realitates actuales actualitate existentia, concedo, actualitate quidditativa formalis, nego, & similiter distinctam minore, nego consequentiam.

Ad 2. Respondo. Existentia est terminus productionis, vel ut producendus, vel ut communicandus, concedo, ut producendus semper, nego. Cujus exemplum patet in generatione hominis, vi cujus esse animæ communicatur toti impo- suto, non autem producitur, sed aliunde supponitur existens.

Ad 3. Respondo, negando antecedens. ad cuius consequentia probationem dico, quod effectus formalis existentia est rem ponere complete extra nihil & in facto esse: non virtualiter quasi in fieri. Esto igitur, quòd Divina relationes filiationis ac spirationis per sui productionem constituentur extra nihil: tamen hæc constitutio per productionem significatur virtualiter & quasi in fieri; complete verò & in facto esse, per existentiam indistinctam ab esse à se ponuntur extra nihil.

Ad 4. Respondo. Esse quidditativum relationis est ad aliud, concedo, esse existentia nego, hoc enim est inesse. Ergo aliud (virtualiter) est esse relationis quidditativum, quàm esse quidditativum essentia, concedo, existentia, nego consequentiam.

## ARTICULUS II.

*Sine præter tres subsistentias relativæ etiam absoluta subsistentia admittenda in Divinis?*

## SUMMARI A.

1. Status questionis.
2. Supponitur acceptio subsistentia in abstracto.
3. Adstruuntur autoritate Conciliorum tres subsistentia relativæ.
4. Et SS. Patrum.
5. Ratio 1. ex multiplicatione concreti subsistentia.
6. Secundo ex multiplicatione effectus formalis.
7. Ter-